

Georg Schede

**Iusta Funebria In funestum, atramen vere Heroicum & beatum obitum  
Christianissimi ... Dn. Gustavi Adolphi, Suecorum, Gothorum ac Wandalarum  
Regis ... Qui VI. Nov. A°. I C XXXII. in acerrima pugna inter Weisenfelsium &  
Luzam Misniae oppida, fortiter pro Religione & Libertate Germana asserenda  
dimicans Animulam ... reddidit**


Gustrovi[i]: Venator, 1633

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn742548392>

Druck Freier  Zugang










DK-9453 (1)



*Ex  
Bibliotheca  
Academiae  
Rostochiensis*







Inhalt:

(Progr. 1631) G. Schedius, Metaphrasis poet. Feschajahu proph. coniectionum.  
Tumbria in obitum Gust. Adolphi Suec. reg. .. habita a G. Schedio, Rector Sch. Gustr. 1633.  
Lemus Regius, Das ist Schmelde Klag: u. Trauer Schrift üb. d. Eintritt .. Gustr. Adolphi .. Autore G. Schedio. 1633.

Progr. 1646. (Lectorum ad ont. invitat Rector Sch. Gustr. etc)

1648.

1649 (Jan., März, Dec.)

1650. (1. Aug. II Nov.)

1652.

1653.

1655.

1658. (1. Oct. u. Von Lecture.)

1663.

Natales Reipublicae Meclenburgicae sacri. Gustr. 1666.)

Joh. Schultzeanus, de mysterio pietatis. mit Präs. G. Voigtii Gustr. 1671. (von G. Voigtii)

Hucht, Disp. log. de formali enunciationis redupl. et spec. sub prals.

G. Voigtii, Rectoris .. defendet. Gustr. (1671.)

Wagner, De oraculis Sibyll. sub pr. Voigtii .. def. Gustr. (1672.)

Progr. 1702. (Contra indifferentiam religionum.)

F. Otto, Theses log. resp. Daleke. Gustr. 1706. Editio II. 1710.

De veritate rel. christ. .. resp. Stark. Gustr. 1710.

In alterum jubilaum Lutherianum .. Gustr. 1717.

Laeculare laudis sacrificium .. dlatum a novellis Athenaei Gustr. Collegis. (1717)

Thesium misc. decadem .. moderante F. Ottone Rector. prop. D. Sandow. G. 1717

Triumph. Lied .. 2. Luth. Jubel. Fest. .. G. (1717)

Festum transl. Bild. Luth. germ. .. celebr. .. in urb. Richter. Gustr. Rector. (1719.)

Cantata .. (1719)

Progr. 2. Festum sac. II Augustanae Confessionis .. in urb. .. (1730)

Cantata .. (1730)

Progr. 2. Geburtstagfeier des Herzogs 1731. (Richter, De Henrico Leone)

1732. (Di Alberto et Johanne)

[1733 steht ill. 885]

1734. (De rebus Meclenburgicis)

Ms. Progr. 2. Geburtstagfeier d. Herzogs 1718 ff. u. a. siehe Nr. 74.



Progr. z. Geburtstagsf. des Herzogs. 1735. (Richter etc.)

1736. ( " " )

1737. ( " " )

1738. ( " " )

1739. ( " " )

1741. ( " " )

1743. ( " " )

1744. ( " " )

1745.

1746.

1747.

~~1848~~ *Leverii Darmu bucolicum* ed. Richter. 1747.

1749.

1750.

*Philippi Julii Ducis Rom. diarium itineris* ed. Richter. 1750.





15. 18

2

JUSTA FUNEBRIA

In funestum, atramen verè Heroicum &  
beatum obitum

CHRISTIANISSIMI, SERENISSIMI AC POTEN-  
TISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI

DN. GUSTAVI  
ADOLPHI,

Svecorum, Gothorum ac Wandalorum RE-  
GIS, Magni Principis Finlandiæ, Ducis Esthoniæ & Care-  
liæ, Domini Ingridiæ, &c. Victoriosissimi Gubernatoris  
exercitus Christiani, sacratissimæ  
memoriæ,

Qui

VI. Nov. A. ∞ 100 xxxii. in acerrima pugna inter Wei-  
senselsium & Luzam Misniæ oppida, fortiter pro Religione  
& Libertate Germana asserenda dimicans Animu-  
lam beatissimam inter pia suspiria  
DEO reddidit.

H A B I T A

*In gratam pro variis huic Civitati & aded toti Regioni  
exhibitis beneficiis memoriam*

GUSTROVI IX. Januar. ANNO ∞ 100 xxxiii.

M. GEORGIO SCHEDIO, Rect. Sch. Gustrov.

Gustrov I Typis impressa à Joanne Venatore, D. M. T. 1633.

Universitätsbibliothek Rostock





*Amplissimis, Consultissimis, omniq<sup>3</sup> Virtute  
Præstantissimis Viris*

**DOMINIS CONSULIBUS, itemq<sup>;</sup>**

toti reliquo Spectatissimo Ordini Sena-  
torio Inclitæ Reipublicæ

**GUSTROVIENSIS,**

*Dominis Fautoribus ac Evergetis suis hono-  
rificè observandis*

In grati animi signum ac memoriam loco Strenæ  
(mallem in argumento lætiori)


*dat, dicat, dedicat*

**M. GEORGIUS SCHEDIUS,**

Glauchavia-Misnicus, Scholæ  
Gustroviensis Rector,





  
EPISTOLA DEDICA-  
TORIA.

**L**Ydia de Rege Cræso præpotente,  
Strenuo, miti, atq; forti, Veritatis  
Candida, & Justi tenace, & imperitum  
Hoste acerbo, Sed Catorum singulari  
Omnium fautore, scriptis in vetustis  
Invenimus annotatum, quod receptis  
A Monarchâ Persiæ Cyro valente  
Sardibus, cum Civitas direptiuni  
Militum cefsisset, & multa subinde  
A cohorte militum committerentur  
Improbâ cades, ad ipsum fors penetral  
Impetu se immiserit miles timendus  
Ense stricto, ipsoq; Regis, nescius quis  
Esset, attentârit ad-versi reclusam  
Condere in pectusculo punctim macheram,  
Namq; Cræsus, Xenophon prout reliquit  
Literis de eo notatum, Heros in armis  
Strenuus magis, superbâ quàm venustus

)\*( 2

For-



Formâ erat, pede altero quòd claudicaret  
Lumine altero Strabus, nullis capillis  
Cranium ornatus, statura parva Nanum  
Exhiberet, ingenio donis secundus  
Nemini, vel maximo. Formâ ergò miles  
Hâc abominabili visâ, Calonem  
Se videre repputans tenebat ensẽ  
Dexterâ cadem patraturus; repente  
Filius ni mutus ac elinguis usq̃  
Illud ad momen, solutis commodum ipsis  
Lingüæ vinculis tulisset verba ab ore  
Prima, Regi parceret, sangven cruentâ  
Regium nec funderet manu, Monarchæ  
Persiæ sed traderet captum. Pericli  
Imminens cervicibus sic magnitudo  
Regis, & Eusebea lingüæ usum  
Filio pio attulit, quem denegârat  
Illud ad tempus Noverca, nunc benigna  
Mater huic Natura. Et haud scio, mibine  
Impari in re quamlibet venire possit  
Usu idem, ut quem magna clades Christiano  
Cætni, Luthere doctrinam fatetur

Qui



Qui tuam, illata; Eusebeia dein, loquendi  
Imperitum, elingüem recuset esse  
Sic, ut antè; Teutonæ sed nostra apertis  
In periculis Patriæ communis altâ  
Voce clamem; non ut hosti, ne recludat  
Ense guttur hoc, reluctet, (nam cruoris  
Dextra cupida non id admittit) malorum  
Ut fleam sed maximum, quo Christianis  
In cruoris Regii profusione  
Orbe ab inde condito non obtigisse  
Creduim funestius; tum restitutis  
Patribus pro Patriæ grates haberem, ,  
Non quidem quas debeo, sed quas potis sum, ,  
Pro Eusebias celica, ac Eleutherias  
Teutona donatione, asfertione,  
Inclitum hoc per Organum, summo Jehovæ.  
Lugubrem permotus his orationem  
In corona, oracula divina explicantùm;  
Et Patrum, quos cura communis salutis  
Alligat; quis pectus & Themis reclusit  
Quiq; nomen Cynthio suum dedere  
Publicè habitam, Nomini vestro dicatam

)\*( 3

Debi-



Debita observantia in signum ac honoris  
Consecro. Magni hunc laborem factitate  
Regis ob heroici stupenda facta  
Quae patravit Teutoniae ob Gentis salutem  
Repparandam, & saniorum asserionem  
Dogmatum, Patres valetate Civitatis  
Et meis favete, ut antidi hac, Camoenis.  
Alma Pax in orbe gliscat universo;  
Pontum at ultra, perpeti gelu coactum,  
Tristis hostium furor sese receptet.

Die X. Januari

ANNO ἐνανθρωπήσαντος τῷ Χριστῷ

∞ Ioc XXXIII.



Anto-





*Antonius de Guevara.*

**S**Imortalibus constaret, quantam paterentur  
Sjacturam, **PRINCIPEM** virtute præstan-  
tem amittentes; nullum unquam deplorandi  
illum lugendiq; finem facerent. Quando vel e-  
ques torquatus, vel nobilis scutatus, vel officia-  
rius, vel plebejus aliquis obit: unus tantum  
moritur, & quia unus moritur, non plus quàm  
unicus est deplorandus: At quando **PRINCEPS**  
moritur, qui & bonum erat publicum, & in fa-  
lutem vivebat omnium; perinde habendum, ac  
si moriantur omnes, dolendumq; universis, &  
ab universis ipsis deplorandus est.

*Dicæarchus in Politicis; & Cicero*

*1. Tusc. Question.*

**M**aximum ultionis genus, quo inimicos suos **DEUS** af-  
ficit, illud est, ut eos diu vivere sinat: At optimum,  
quod amicis suis reservat, hoc est, ut eos citò faciat emori:  
**DEI** enim est, obsequia pauca plurimis remunerari bene-  
ficiis.




O for-









JUSTA EXEQVIALIA

In obitum funestum, sed tamen verè  
Heroicum,

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI PRIN-  
CIPIS AC DOMINI,

DN. GUSTAVI ADOLPHI,  
Svecorum, Gothorum ac VVandalorum RE-  
GIS, Magni Principis Finlandiæ, Ducis Esthoniæ & Ca-  
relia, Domini Ingridiæ, &c. sacratissimæ  
memoriæ.



Riennium jam est, vel circiter, cum  
*Christianissimus Sereniss. ac Potentissimus Princeps  
ac Dominus, Dn. GUSTAVUS ADOLPHUS,*  
*Svecorum, Gothorum ac Wandalorum REX, Ma-  
gnus Finlandia Princeps, Esthonia & Carelia Dux, Ingridia Domi-  
nus, &c. sacratissimæ memoriæ,* compositis cum Rege Polo-  
niæ, SIGISMUNDO III. disidiis, pactisq; post acerrimas  
ultrò citròq; illatas clades induciis, miserrimè afflictæ, dila-  
ceratæ, & jam jam agonizanti Germaniæ succurrere, Religi-  
oni sinceriori securitatem, Paci firmitatem, ejectis è suis sedi-  
bus speratissimam reductionem moliri primitùs satagit.  
Causâ à nostro REGE *Christianissimo* ducti in Germaniæ terri-  
torium

A

torium



torium exercitus inter alias quam plurimashæ erant. Cum PONTIFEX per suos Vasallos & Satellites, oppressâ jam & sub jugum suum perductâ maximâ sui parte *Germania* libertate omnes vires ad extirpanda *Religionis* sincerioris semina converteret, adeoq; propagandæ Dominationis terminum pro libidine sua describeret: REGI *sacratissimo*, cui acre tum contra Polonos bellum erat, hostis, nullâ prorsus lacesitus injuriâ, nec bello, ut moris est, ante denunciato, magnam militum manû per *Generosum ac Strenuum Dn. Campi Marefchallum* JOHAN-GEORGIUM ARNIMIUM in Borussiam duxit, manifestum se hostem declaravit, omnigenasq; adversus eum hostilitates exercuit. Subdelegatos REGIS amici & Pacifici, *Lubecam* ad causam *Sundenfium* recognoscendam, horum litem dissolvendam, non ad denunciandum sed honestis conditionibus componendum bellum missos, admittere non solum Cæsarei recusarunt, sed & territorio Romani Imperii modis planè indignis excedere juserunt; cum aliæ quantumvis barbaræ gentes, & ab humanitate alieniores, Pacis Oratores humanitè ac honorificè excipiant, Feciales etiam ad bellum indicendum missos, pro dignitate non solum exceptos admittere, sed & pacificè dimittere consueverint. Literas à REGE ad *Principem Transylvania* missas non saltim interceperunt, sed etiam contra fidem & mores Germanorum veterum referarunt. *Illustrissimos ac Celsissimos Principes MEGAPOLITANIÆ, Dominos nostros, clementissimos, Amicos Regios*, illiq; sanguinis necessitudine devinctos Dominiis ejecerunt, & tantum non penitus extirparunt. Subditos Regios aliquoties expilatos in captivitatem abduxerunt; Totâ insuper Europâ ingentem armatorum manum contra *Sacratissimum REGEM* in Borussiam amandatum iri non obscure dissemina-



minabatur. His tantis & aliis causis motus *Pientissimus*  
 REX ad sui magis defensionem & oppresorum auxilium,  
 quàm aliorum offensionem, nec ad inferendas, sed vindican-  
 das & profligandas injurias sua primùm præsidia in urbem  
 STRALSUNDIUM induxit, suoq; Clementissimo & auspica-  
 tissimo adventu universum hunc tam Oceani, quam Balthici  
 maris tractum, ejusq; Accolas, quin imò omnes miserrimè  
 sub Papatus jugo multis abhinc annis presfos & coangustatos  
 exhilaravit. *bulli* Hunc adventum, *θαυμάσιε τὴν βελὴν, καὶ τὰ*  
*πολέμια ἀλάλιμε, καὶ πάντα τὰνθρώπινα ὑπερορῶν πρὸς τὴν παρὰ τῶν*  
*θεῶν εὐσεβέσαν βασιλείῃ, νῦν ἐν ἀγίοις, i. e. admirabilis consilio, &*  
 in bellis fortis, omniaq; humana contemnens præ pietate &  
 Religione REX inter celites nunc agens, gratulabantur *Tua*  
*Majestati*, gratias DEO immortali agentes justissimas, quòd  
 licet rescires, cum valido tibi hoste, totaq; Liga, quæ Belluam  
 illam Coccineam adorat, rem futuram, si pro grege Christi-  
 sequo, miseris modis afflicto, in arma rueres: Tuam tamen  
 Majestatem DEUS & animis & armis instruxerit, ut, quæ ali-  
 is ad deponenda arma causam subministrare poterant, Tibi  
 eadem capesfendi acriter ac heroicè pro aris & focus dimican-  
 di, Libertati luxatæ concessis salutaribusq; mediis succurren-  
 di, Religionem propulsatam in integrum restituendi, verbi  
 salvifici impiissimè exacti nitorem postliminio reducendi,  
 Sedibusq; patritis præter jus & æquum contra Christianum a-  
 morem citra respectum Familiarum ex Regio Sangvine ab  
 infinita fermè annorum serie originem sibi vendicantium,  
 non auditosantè, miserrimè turbatos, & in tristissimum exi-  
 lium actos revocandi, incitamento fuerint. Et fanè quo  
 plura in hoc Regio ad Germanos transitu plurium vota con-  
 currunt, quo plures & catenatæ quasi victoriæ divinitus con-  
 cesæ



cesæ nostris auribus sunt auditæ, admiratione & prædicatione singulorum ritè DEUM colentium, dignissimæ: eò pluris ille à nobis est faciendus, eo ardentiores ac devotiores gratias debemus DEO, tùm Regiæ Majestatis datori, tùm ejus consiliorum directori, qui omnia hæcenus ad Divini sui nominis gloriam dirigere voluit. Et quotus quidem quisque erat, qui non gaudium, nec immeritò, singulare caperet ex Regiæ Majestatis ad nos ex Borealiori tractu trajectione? Experiebamur enim, quantam vim haberet illud, quod Cicero alicubi dixit, omnia desiderata bona magis, quàm assiduò percepta delectare: At quo majora tunc temporis gaudia nostra erant, quo optabilior & suavitate ex omni parte referrior Regiæ Majestatis videbatur expectatio; eò nunc mœorem, tristitiam & luctum vehementiorem ex minùs sperato & expectato, sed beato tamen vereq; heroico obitu degustamus. Solet enim nescio quo fato fieri, ut mortes repentinæ, inprimis violentæ, quales occurrunt in pugnis & conflictibus magnorum præcipuè Heroum, non nisi ad maxima divinitùs excitatorum & datorum, ceu grandi quadam calamitate omnium subitò animos percillant & prosternant. Et quis, nisi rerum omnium ignarus, aut duris Caucasi saxis oriundus, sufficienter nobis causas ingemiscendi, quid ingemiscendi? imò largissimis fletibus ac lacrymis genas madefaciendi, datas esse abneget? Qui erigere corda nostra in tristi statu posita, qui nobis fortunâ intonante solatio esse poterat, ex oculis, eheu! nostris est surreptus. Choreæ nostræ in ejulatum abierunt. Capiti corona nostro delapsa iniquitatum molem nefandam non obscure notat.

*R E X noster atq; Princeps      Unctus comas olivo  
 Spes nostra, vita, robur,      In asperis asylum, Heu occidit!*  
 quàm



quàm

*Gaudia principum nostri sunt magna doloris!*

Quàm suspecta habenda prosperorum continuatio nimia! (Flor.) 4. 2.) O fortuna impotens, quales ex humanis malis tibi ipsa ludos facis! Ut sperata vix pauca, & cum maxima quidem ærumna proveniunt! Et ne nos aliquis incuset, fata dum incusamus, DEUM ipsum nos incusare, qui Principes bonos ad tempus tantum hominum generi concedat, eos iterum & quando sibi, & quo mortis genere libitum sit, repetat; Huic responsum velim, nihil nos iniqui facere hac in parte, nec virgula censoria injustè fata ferire; cum super piorum obitu ora fletibus rigare, jubeamur à Spiritu Sancto. Quin exempla veterum prostant, quos sanctos DEI viros fuisse, suosq; amarè deflevisse è Sacris constat. Sic Israelitæ fleverunt Moysen, afflictissimum illum Israelitarum Ducem, & divinorum oraculorum interpretem. Sic Josuam iidem, sic Davidem, sic Josaphatum, sic alios quamplurimos, viventium contrubermio subtractos, singulis defleverunt seculis. Et nos igitur justis modis tristitiam nostram contestamur in obitu *Christianissimi* REGIS amarulento. Quod namq; Pater est filiis, quod pius Princeps subditis, quod Patronus Clienti, quod miserè afflictis Dux validus, quod brachiis totiq; corpori clypeus: Idem nobis *Pientissimus* REX erat. Hoc jam Patre miselli, cheu, filii sumus orbi; hoc Principe subditi nos privati; hoc Patrono Clientes destituti; hoc clypeo defraudati. Et nulla unquam ruina tantam muri stragem edidit, nulla teredo ita corrodingo pestis ligno extitit, nulla vestem tineam ita consumpsit, nullus vermis poma ita corrupit, nulla spicas locusta ita detondit, nulla grando segeti tanta calamitas extitit, nullus turbo depressa nube contortus arbores



in sylvis confertis ita deturbavit ac prostravit; atq; strages hæc obitusq; secundum Poetas pulcher & heroicus toti Christianitati, quæ verbum DEICIONA fermentum Pontificio-Pharisaicum amplectitur, insanabile vulnus infixit.

Ne tamen *Gloriosissime & Beatissime* REX *Tua Majestati* gaudia inter beatos Celicolas mortem tuam insecuta, lividè invidere videamur, dum DEUS *Tm.* Majestatem miserabili, lubricæ, suspectæ, incertæ, importunæ, vitæ demùm vitæ experti, tempori subtraxit; saltem flebiliter contestamur his fletibus, nihil redhostimenti loco quicquam pro tantis laboribus, nostri gratiâ susceptis & exantlatis, pro vita deniq; & sanguine, nobis benè ut esset, profuso, esse relictum, exiguas præter hasce Nævias, gemitus & suspiria, immensum periculorum barathrum, cervicibus nostris impendentium, & magnam cladem, tuâ nobis morte illatam contestantia.

Permitte dehinc pauca de rebus felicissimè, DEO tuis conatibus favente, inconditè quamvis, incompositè & sine colore dicere, quamvis alio stylo, alio ingenio, aliâ indole facta illa tua, inter Semideorum verè referenda digna sint, eorum tamen hortatui, quorum consilium in mandati loco reputo, non obtemperare, nefas & piaculum esse duxi. Quod ut feliciùs peragam, præsentiam tuam, *ô Sacro Sancte Spiritus*, omnium bonorum munerum autor & dator, solidum mihi fulcrum humiliter flagito; nec mihi eam, sic enim *ωλπροφορία* filiali certè ducor, denegabis?

Cùm DEUS afflictissimæ, & sub jugum Pontificio Hispanicum maximam partem subactæ & redactæ, patriæ nostræ GERMANIÆ dulcissimæ misertus, faucibus eandem hostilibus eripere decrevisset; ex omnibus Orbis habitati Maximatibus sibi ad tantum opus eum, qui in hostium oculis erat contem-



temprisimus & abjectissimus, at in DEI conspectu maximus, Pietate nimirum, robore, felicitate ornatisimum, qui justitiã Moysen, lenitate & aqvitate DAVIDEM, Zelo PHINEUM, robore SIMSONEM, Sapientia & Potentia SALOMONEM, si non superavit, certè æquavit, GUSTAVUM ADOLPHUM, REGEM inter Septentrionales Potentissimum eligere voluit.

De hujus REGIS, anno CHRISTI 1594. à Serenissimo ac Potentissimo Svecorum, Gothorum & Wandalorum Rege CAROLO, Magno Principe Finlandia, Duce Esthonia & Carelia, Domino Ingria, &c. ex Serenissima & Illustrissima Principe CHRISTINA, Filia ADOLPHI, Ducis Holsatia, Hæredis Norvegia, Nepte FRIDERICI I, Dania & Norvegia Regis, in lucem suscepti, Stockholmia in ipsa Svecorum regia; coronati verò anno 1617. pueritia, educatione, diadematis impositione & inauguratione auspiciatissima; placidissimo item cum Serenissimã DN. MARIA ELEONORA, Serenissimi Electoris Brandenburgici, DN. JOHANNIS SIGISMUNDI Filia 25. Novemb. Anno 1620. inito Matrimonio, nihil hic dicam, altivolantibus hæc ingenii, rerumq; istarum peritioribus relinquens; nec etiam luctui destinatum, quantillum hoc est temporis, hæc admittit.

REX ergò noster Pientissimus, cùm & literatissimus & Sapientissimus, ideoq; virorum doctrinã excellentium amator non obscure nosset, omnia Principes de manu DEI accipere, nemini, nisi DEO, rationem reddituros; quin & imaginem DEI esse Principes, & imaginem DEI gubernare: omninò vitam suam formabat, ut & hominibus amabilis, ac DEO charus esset. Hinc probus esse, quam videri, maluit, in mandatis aspernabatur superbiam, & adversus benè merentes ingratitude. Religiosus adversus templa, detestator criminum,



minum, amator æquitatis erat, in negociis non segnis, non lentus, non oscitans; sed vegetus, sed cordatus, sed expeditus; afflictorum & miserè oppresorum refugium & pater orphanorum. Hinc ipsius summa in oppresorum querelis audiendis facilitas, quoad homines erunt, non morietur. Displicebat ipsi J. Cæsar, qui Imperator aliàs virtute excellentissimus, cùm ad rerum fastigia & Imperiale culmen evectus esset, difficiliorem se adeuntibus præbebat. Undè factum, ut libellum, insidiarum indicem, ab obvio sibi porrectum, cùm accipere renuisset, 23. plagis confossus difficultatis hujus suæ mercedem deportasse videtur. Contrà æmulabatur M. Aurelium Antoninum Imperatorem, à quo uno, utpotè totius Monarchiæ Romanæ capite licet cuncta negocia, quæ in multos, ut fit, distributa erant, penderent; nunquam tamen admissionum Magistro utebatur, nec quenquam ultra unum diem rejiciebat, reputans apud animum, cordatum Principem decere in audiendis omnibus promptitudinem, at in discernendis negotiis gravitatem. Volvebat animo anus cujusdam Græcæ verba, quibus Philippus Rex Macedonum sui gravitè officii admonebatur. Huic, ut habet Plutarchus, postulanti, ut de sua causa Rex cognosceret, eumq; identidem interpellanti cùm Rex dixisset: Si vita tibi est chara mulier, misum me facito. non vacat mihi, ita me Dii ament, querimoniam tuam audire; anus respondisse fertur: Philippe Rex, si audire & justitiam administrare non vacat, noli Regem agere, & alius præerit Reipublicæ. Quod ille dictum admiratus non istam modò, sed & alios confestim & diligentèr audivit. Hæc & similia REX *Christianissimus* pensiculatius ponderans, & humilitatem & affabilitatem, ut gloriosas ita raras in Principe virtutes affectabat & amplexabatur..

Et



Et plus præstitit, quàm arbitrabatur, siquidem cunctorum hac ratione favorem, vota & preces in se derivabat. Neq; enim leve bonum Reipublicæ est æstimandum, facilem habere apud Principem audientiam; & gravior semper servitute contemptus æstimatus fuit. Hinc odia in vulgo, hinc reprehensiones, hinc seditiones. Nec mirum, quia ubi fores aurium subditis Principes ocludunt; ibi viscera subditi Dominis non aperiunt. Contrà sicut in mediocris fortunæ hominibus odiosa est jaçtancia: sic humilitas & affabilitas in Principe valdè est gloriosa. Quin & ærumnæ Clientum leviores redduntur, & vel ideo æquiore discedunt animo, quòd dolorem in sinum Principis deposuerint, licet impetrandi, quod velint, spes nulla sit. Sed descendamus ad arma, inter quæ REX Pientissimus à teneris educatus à quoquam fortitudine, strenuitate, & vigilantia vinci turpe sibi ducebat, ut cui optimè notum esset, ociosam, libidinosam & intemperantem adolescentiam corpus senectuti effectum tradere. Hinc

*Quantus in Archivas Troja pro mœnibus Hector  
Arma olim turmas hoste fremente tulit;  
Quantus erat Turcis Croja pro mœnibus alta,  
Cui rutilus toties fluxit ab ore cruor;  
Blasphemus Christi quoties iit acer in hostes  
Vincere REX doctus CASTERIOTA pius:  
Tantus in arma ruens pro Relligione tuenda  
Ausonios domuit Celtibrosq; Duces.*

Et quanto quidem animo, quàm alacritate, melius est tacere, quàm paucis in medium adductis, & fortassis non satis rectè, imbecillitate ingenii deterere. Hoc unicum attingo, Sicut in audiendis haud gravatim clientibus erat facilis,

B

cle-



clemens, & affabilis: ita contrà in hostes durus, immitis & acer. . . At in expeditionibus adversus hostes sine DEO nunquam ibat, sciens, se respectu DEI esse, quod Vasallus respectu Principis, & DEO parere, cumq; eo bellare fructuosum esse. Ideo in hostem iturus, & in presentissimis discrimenibus propitium sibi DEUM redditurus, animo humili gratisq; obsequiis favorem sibi illius prius conciliabat, exemplum DAVIDIS sibi imitandum ob oculos ponens, qui cum esset felicissimus ac prudentissimus, nemini bellum movebat, nisi DEUM prius in consilium adhibuisset; nec non JUDÆ MACCABÆI, qui prœlia, nisi antè DEUM devotè implorasset, nunquam inibat. Perspiciebat quippè REX *Sapientissimus*, non dignum esse Principem, qui plenam de hostibus reportaret Victoriam, nisi querimoniam prius in DEI manus deposuisset. Nec mirum hoc cuiquam videri debet, cum & Ethnici saniores idem fecisse legantur. . . Hinc Græcis & Romanis bellum facere hostibus non licebat, Diis suis nisi victimas prius immolassent, Vatesq; super extis horumq; fibris consulissent; Et rectè quidem; nam super qua re consilium quis non expetiit, auxilium super eadem nefas est sperare. Et cum alia ( ut inquit Cicero ) arma ad regendum, alia ad nocendum; alia ad inferendam, alia ad arcendam injuriam capiantur; justiora semper REX noster *Pientissimus* ea esse duxit, quæ ad propulsandam vim illatam induuntur, quàm quibus innocentes lacesuntur & violantur; non ignarus, fructus belli esse hostes vita & infantes bonis exuere; nullam relinqui arcem, quæ non evertatur; nullam occupari urbem, quæ non diripiatur; nullum deprehendi hominem, qui non occidatur; nullam rapi foeminam, quæ non stupretur; nullam servari virginem,   
cujus



cujus arx pudicitiae non expugnetur; nullam occupari do-  
 mum, quae non spoliatur. Hæc piè secum perponderans,  
 injurias pati, quam aliis inferre, dignitati pristinae bonos resti-  
 tuere, nullum opus Justitiae convenientius, quam ad retun-  
 dendam improborum malitiam susceptum; nullum Regi  
 honorabilius, quam Religioni afflictæ suppetias ferre & va-  
 cillantem justitiam statuminare REX *noster Pientissimus* de-  
 crevit sapientissimè omninò ac piissimè Undè ad nego-  
 tium hoc tam arduum descensurus non tam militum copiâ,  
 quâ alii Strategî impensè gaudent; non Strategematis, quæ  
 Thucydidi sunt pulcerrimæ furta gloriæ, veriùs tamen fraude,  
 quam fortitudine, quam manu perficiuntur, delectatus  
 videtur. Dolis hujusmodi & insidiis abstrusis REX noster  
 minimè delectabatur, qualibus Zopyrum usum fuisse legi-  
 mus, quî præcisus naribus & auribus, totumq; corpus mirè  
 deformatus fugâ ad Babylonios transit; Et hac fraude,  
 Dario conducibili, Dux hostilis exercitus creatus, in pote-  
 statem ejus Babylonios tradidit: Technis, inquam, cali-  
 bus, hisq; similibus neutiquam delectabatur; Sed aperto  
 Marte, armis, labore ac sudore tum suo tum suorum ingente,  
 peneq; incredibili victoriis potiri se accinxit. De pacis  
 mediis mediocritèr tolerabilibus, quibus miserè coangustatis  
 Romani Imperii Subditis quies, Principibus Imperii finibus  
 ejectis regna hæreditaria, Libertas afflictæ reparari, & Religio  
 agonizans & vacillans stabiliri posset, vehementer Regiam  
 Majestatem sollicitam fuisse, tam omnibus notum est, quam  
 quod notissimum; graviter secum reputantem, bellorum  
 infeliciùm etiam felicium damna esse tanta, ut victi detri-  
 mentum certum, emolumentum Victores incertum aufe-  
 rant. Ruminabatur illud Pindari in Pythiis: *Ἡδίων μὲν*  
*γὰρ*



γὰρ πῶλιν σείσαι, καὶ φαιροτέροις ἀλλ' ἐπὶ χῶρας αὐθιγῆς ἔσσαι, δυσ-  
 παλές. I. e. Facile quidem est urbem concutere, etiam im-  
 becillioribus: sed in sedem suam rursùm collocare, diffici-  
 le. Atenim in Pace suspectâ tutius bellum esse ratus, indu-  
 cias suspectas non admisit (Tac:) Hinc cum Regni Stati-  
 bus inclitis suum deprofliganda sibi & suis atroci à Caesarianis  
 injuria illatâ consilium communicans in hæc verba erupisse  
 fertur: Bellum ego hoc, *vos mihi fidelissimi βουλευται*, tam for-  
 midabile, tam atrox, totq; ac tantis periculis refertum fuscipio,  
 certissimè mihi persuasum habeas, Justiciam à nostris stare  
 partibus. Nec fieri potest, ut Virtutem, & hujus effe-  
 ctum, Victoriâ, DEUS injuriarum autoribus, sed contra  
 injurias se defendentibus impertiat. Et quoniam DEUS  
 Justitia ipsa est; Victorem me illius beneficio posse fieri non  
 diffido. Objiciant hostes, numero militum sibi longè me  
 imparem; crepent nervos belli, pecuniam, arma, & alios ap-  
 paratus: Plus ego fiducia in belli causâ, quam in apparatus  
 robore ponendum longo jam usu didici. Nesciunt isti,  
 turrim fortissimam nomen Jehovæ. In bellis asperis plus  
 Justitia Principibus, quam tuentur, quàm quidem peditum  
 & equitum multitudo, quâ freti hostem eliciunt, armata  
 prodest. Ut plurimum DEUS potentiam maximè suam  
 exercere sœvus est, ubi maximè imbecillitas humana deficit.

Quantâ fiduciâ, quantâ spe auxilii Divini verba *Christianis-  
 simi nostri* REGIS pronunciata esse putemus? Tot Popu-  
 lorum esse Imperatorem, tot Victoriarum tetulisse brabæa,  
 nec mortem reformidare, certè miraculum. Exem-  
 plum inde omnes sibi petant *Megistanes*, cujus sanè sint Ordinis,  
 inprimis ex Regio & Principum stemmate nati, secumq;  
 altius perpendant, quanti interfit, DEUM habere faventem

&



& propitium; quanti item referat, nomen Christiani, quod in Baptismo nobis impositum est, sanguinis Christiani, tam pretiosè redempti, temerariâ & impiissimâ sub prætextu violatæ Majestatis profusione non polluere, sed integrum & immaculatum retinere; quantilli item interfit, in præliis asperis copias possidere ingentes, nec destitui fulminalibus machinis, ignem & lapides evomentibus & jaculantibus. Nec verba fuerunt hæc REGIS *heroici* sine penu: quæ enim mente sibi proposuerat, quæ cum Consiliariis, quæ cum Strategis communicaverat, quæ pro recuperanda Pace Religionis sæpius violata, quæ pro *sincerationibus*, minimè sinceris, sincerandis, i. e. aut ratificandis, aut infringendis dixerat; ea quoque Pace cum Rege Poloniae circa Septembrem Anni 1629. effectu cum DEO bono donare certo decrevit, videns, eò redactam esse rem Christianam, Religionem & Libertatem, jamjam Spiritum ultimum emissuras, ut pauca sibi opera, quam plura verba prodescent; siquidem Pacis conservandæ lingua interpret sit, Bello verò patrando ferrum inserviat. His apud animum ponderatis ac dictis LEO noster ex Aquilone *fulvus* prodiit

*deserta relinquens*

*Ac immanè fremens; devastatorq; colentum*

*Numina ficta DEI veri vice tendit ad Austrum*

*E regione suâ, quondam caput Orbis & Urbem*

*Atq; urbes Latias munimine cespitis alto*

*Vallaturus.*

Jam autem quid primo dicam, quid ultimo, quid medio loco? Subverendum enim mihi, ne, quod Annibal, Carthaginensium Dux in Phormione Ephesiorum Philosopho, multa in gymnasio egregiè de bello disserente culpavit, mihi



à nonnullis objici possit. Hic Phormio, uti habet Cicero & Plutarchus, cum fortè Annibal post stragem à Scipione illo felici acceptam, comite Antiocho, Asiæ Rege, cujus ipse tum utebatur patrocinio, Lyceum ingressus esset, argumentum professioni tantorum Principum parùm se habere consentaneum animadvertens, illo, quod in manibus erat, omisso, de artibus ex tempore & Strategematis, item de ordine in præliis committendis servando disseruit, adeoq; sublimes & copioso orationis genere persecutus fuit, ut non omnibus solùm, à quibus nunquam visus fuerat, sed & his, qui quotidie ipsi audiendo operam dabant, admirationi esset, & Antiochus ipse sibi placeret, taciteq; gratularetur de virorum in suo regno sapientum proventu felici. Antiocho autem judicium Annibalis super iis, quæ Philosophus dixerat perquirenti & sciscitanti, animosè ille & confidenter, Scire te velim, respondit, Rex Antioche, multos mihi sapè deliros senes visos; sed qui magis, quàm hic Phormio, qui tibi Philosophorum Princeps videtur, deliret, neminem unquam visum. Extremæ stultitiæ est, vanæ quendam scientiæ sibi conscium, non eum, qui scientiâ vanâ, sed eum, qui certâ experientiâ præditus est, condocere conari. Equis enim, Antioche, tam vecors est, ut ferre; equis tam infans, ut tacere possit, si homuncionem, qualis hic est Philosophus, de rebus bellicis, *Annibale audiente*, perinde ac si ipse Dux Poenorum, vel Imperator Romanorum fuisset, disserentem audiat? Profectò aut parùm ille sapit, aut flocci nos pèndere sese ostendit. Longissimo, Antioche, inter se dissident intervallo, locum tenere Philosophi, & Ducis munere fungi; scitè in schola docendi, & aciem aptè instruendi rationem nôsse. Qui summa cum eloquentia de rebus bellicis disserant, multi; at qui-



quibus satis sit advitam, cùm jam rem poscit, in aleam mittendam animi, pauci sunt. Si nihil eorum, quæ dixit, oculis Philosophus iste vidit, sed in literis tantùm legit, illis, qui neq; viderunt ista, neq; legerunt, dicat; rerum enim militarium cognitio meliùs in castris Punicis, quàm in scholis Græcis paratur.

Hæc & id genus alia gravissima verba Annibal ad Antiochum dixit, nec, si rem ad trutinam rationis examinamus, ineptè. Quæ enim quis ex solâ librorum lectione habet, & quæ nunquam in manus tractanda sumpsit, de iis non tam exactè judicare potest, atq; qui singulis illa diebus manibus versat. *ἐν εἶναι, inquit Aristoteles, μὴ δοκεῖ δεῖν δὲ λέγεσθαι στρατηγὸν, πραγμάτων ἀπειροῦ ὄντα.* Adde quod in singulis disciplinis quædam suis opificibus innotescant, quæ non modo vulgo, sed & Philosophis occultantur.

Hoc me exemplum dehortari poterat, nec immeritò, ut hoc labore planè superfederem, ut potè parcus rerum à R. M. egregiè gestarum lector minus multo contemplator.

Hoc tamen unicum me consolidat, quod, qualis quis in hostem esse debeat, neminem instruam, non etiam loquar inter Annibales & Aristarchos: Sed inter cordatos, candidos & sinceros, qui quicquid erratum vel sit, vel adhuc erretur, non tam vanitati, quàm odiosæ rerum ad nos allatarum incertitudini sint ascripturi: Sed unde exorbitavi in orbitam redeo.

Tanta sunt Tua, *ὁ Heros incomparabilis*, facta, ut, qui præsumat, angustis ea chartarum limitibus & cancellis comprehendere, Oceani ille aquas immensi Albis aut Viadri, aut Vurgis alveolis angustis contineri posse statuat.

Qui motus, quæ trepidatio Casario-Fridlandianorum militum, de recepto in tuam Clientelam *Straalfundio*, de mirâ in locis Insulæ Rigensis occupandis, præsiidiis profligandis, ejiciendis,

ex-



extirpandis, celeritate inaudientium? Factum enim singulari Divinâ Providentiâ, ut Hostes nostri mera fulmina spirantes, felicitate tantâ, tamq̃; prospero diuturnoq̃; in Belligerando, cum nemo resisteret, successu ebrii, omnia negligentius agere, & Præsidia in disitas longiûs Regiones, Civitates, aliaque munita loca disponendo, Hostem exilem quasi contemnere viderentur, nunc Impotentem, nunc Scorteam, nunc aquarem Regem appellantes. Et quod naturæ quasi viac ordine solet fieri, ut virtus distracta infirmior sit, quàm conjuncta; & quò pluribus negotiis intentus est animus, eò minor ejus sit aptitudo, ac in singulis expediendis efficacia: Ita hæc hostium somnolentia atq̃; exercitus distractio in nostrum commodum vergere debuit. Nam quod J. Cæsarem cum ex Asia rediret, ad S. P. Q. Rom. scripsisse narrat Svetonius: *Veni, Vidi, Vici*: celeritatem Victoriæ his ipsis verbis denotans; illud jure optimo in nostrum R E G E M recidit. Simulacrum enim in continentem venit, hostemq̃; vidit, simul etiam vicit. Fugere vidisses non fugatos, audito saltim Suecorum nomine. Per unam viam ad nos ingressi fugam per septem alias meditabantur. Benè nimirum pugnatur, Si DEUM in pugnis fortimur Parastatam & auxiliatorem. Factum enim brevi, ut, qui transmarina Regna & Insulas remotissimas jam tunc occupasse sibi somniabant; Euro ocyores à litore Maris Balthici fusi & fugati, recederent. Ita nostra hæc, quæ solius DEI præpotentis immensa est benignitas, terra Megapolitana ab isto populo, qui extensa manu juraverat: nisi mea jussa feceritis, in planitiem deducam fana Domini, & templa vestra Masim consecrabo, liberata suis Principibus hæreditariis, ab Antyrio inde Alexandri M. Archippocomo longâ Regum serie profeminatis restituta est, quam cum  
Prin-



Principibus & Subditis ab omnibus incurſionibus hoſtilibus etiam in poſterum tutam ſub umbra alarum ſuarum Divina Clementia reſervare paternitèr dignetur.

Quid jam dicam de Pomeraniâ, Marchiâ, Thuringiâ, Franciâ Orientalis, Sveviâ, Briſgoiâ, Alſatiâ, Algoiâ, Baviariâ urbibus, civitatibus, arcibus, vallis, propugnaculis, foſſis & aliis munimentis, quorum pars ultra jam undecennium in hoſtium poteſtate fuit, non citra horum ſtuporem auxiliante Jehovah, partim vi, partim deditioe occupatis, in quorum percenſione tempus me potius, quàm verba deficerent.

Hæc ergò & alia, quæ me fugiunt, nec recensere propoſiti mei eſt, non fraude, non dolis veteratoriis per *Regiam Majeſtatem* recepta ſunt; ſed armis, ſed aperto Marte, ſed ingenua fortitudine, non labori non ſudori parcentem, ſomnum ſapè defraudantem, conſiderationibus ac meditationibus detentam.

Conſideratione omninò & relatione dignum eſſe judico, nec à propoſito noſtro alienum, quod de Alexandro M. referunt *Historici*. Hic ante prælium ad Arbela totam noctem, præter ſuum morem ſomno admodum profundo premebatur. Eum Parmenio Archiſtratègus his exporrectum verbis adortus compellavit: *Miror REX*, te in utramvis aurem dormire poſſe, perindè non dimicaturus maximo prælio, ſed jam *Victor eſſe videaris*. Huic ſubridens Alexander: Nonne nos, inquit, viciffe putas! Et eventus verba comprobavit. Nec enim ſaltim ante prælium, ſed & in ipſa acie magnam animi tranquillitatem oſtendit. Et ejusmodi quidem ſomnus *REGIS noſtri fortisſimi* etiam dici meretur, nimirum non crapulâ accerſitus, non iners & ignavum otium: ſed ad quietem & tranquillitatem animi magnâ alacritate labores ſuſcipientis neceſſarius ſopor. Nunquam

C

quam



quam enim *Borealis hic noster* ALEXANDER in utramvis aurem otiosè dormiit, sed in excubiis disponendis, in præliando, aliisq; laboribus militaribus exercendis acerrimus & vigilantissimus, & tamen in tantâ negotiorum mole, & periculorum Symplegade, manibus, pedibus, & mente *τηρράγανος* h. e. tranquillus & sui similis extitit.

Sed pergo ad pugnas Tuas, REX *Pientissime*, ad prælia, ad conflictus & velitationes, de paucis, si non de singulis, pauca dicturus. De paucis, dico. Cujus enim ingenium tam solers, cujus lingua tam facunda, cujus dextra tam agilis esse posset, quæ tanti moliminis res ordine meminisse, justè disponere, aprè ac decorè proferre, & stylo factis tuis heroicis competente conscribere sibi præsumant. Thucydidem hic quendam desideramus, qui de Ciceronis eloquio omnes dicendi artifices multis post se parasangis reliquit, rerum gestarum pronuntiatione sincerus & grandis. Desiderat hoc arduum argumentum Periclem, qui pro concione tonare & fulminare videbatur. Verba enim rebus respondere omninò æquitas postulabat: Verum enim verò omnia omnibus cum data non sint; intra metas mediocritatis se continere pulerum statuitur, nec ob denegata nobis à natura noverca ideò planè à tanti Regis encomiis deprædicandis ignavorum more desistendum; & mihi ignotum non est, non minorem laudem magnarum rerum æmulos, quàm ipsos mereri autores.

Et gratulor quidem, gratiasq; DEO immortali immortales ago, quod mentes & manus militum ad pugnam instruxit, & per eos tria Montecuculi, Bernstenii & Holckii legiones, in Angern, Borgstall, & Reindorff propè Wolmerstât delitescentes 17. Jul. 1631. cæcidit, fudit, dissipavit. Vivet in hominum memoria, quamdiu homines vivent, nobilis



lis illa pugna in planicie prope Lipsiam cum Tilliano exercitu instructissimo 7. Septembr. ejusdem anni gesta. Quanto ibi fervore ab hoste irritato, ferro, & hastis cominūs, machinisq; fulminalibus ignem & lapides jaculantibus, eminūs in nostrates pugnatum est, multis utrinq; miserandum in modum, impetu ignis, nitri, lapidum & glandium anearum prostratis!

Sed quid fit? Inter tam acres conflictus, cū jam, re in arcto positā, imbecillitas diffideret humana, maximè DEUS exerit vim suam. Injicit hostibus stuporem, ut, cum longè nostros numero superarent, terga, cum maxima suorum clade verterent, aliquot millibus occisis, Bombardis omnibus cum pulveris & munitionis ingente copia, & impedimentis plerisq; receptis. Quid tum, Strategorum callidissime ac sapientissime Tylli, (namq; & in hoste mirari licet virtutem) vincere consvete, ab ullo vinci nescie mentis tibi erat, cū tibi in fugam verso, glandeq; læso, à fugatis ac dissipatis cohortibus ingens illa tuorum strages & clades annunciaretur? Didicisti in hac pugna, solum illum exercitum esse incololumem, qui voluntati divinæ gratus & acceptus est; Contrā, qui semel sunt divinitus derelicti, non Satanæ tantūm se mancipare, sed Orci etiam censui augendo operam navare strenuam.

Nec silentio involvendum famosum illud inter Franckofurtum, Moguntiam & Hanoviam prælium, in quo Ligisticus exercitus milites magnam stragem perpesi fuere, nostratium non usq; adeo multos desideratis. Nec tu Werbena, oppidum veteris Marchiæ, ad Albis fluentia, Tillianæ cladis in totum es nescia. Testantur hoc arvā tua fabulosa duorum millium casorum sanguine madefacta, quingentis in fugam



conjectis. Mox infecuta clades prope Aſchaffenburgum, veluti *ῥόπισμα* & Corollarium Lipſienſi illi ſuperaddita, Tillio, Altringero, Fuggero, & Cronebergero non parvam inurit ignominiam, omiſſis peditum, & equitum aliquot legionibus. Quid in Francia Orientali, Svevia, Bavariæ parte præſtiterit, aliorum abunde teſtantur ſcripta, luculenter vivis & genuinis coloribus heroicè à R E G E, infortuniis cedere neſcio patrata depingentia. Quàm fortiter obſederit ad Noribergæ Caſtellum, & Civitatem munitiſſimam, murorum minis horridam, ſitu pulchram, Emporium palmare, & Germaniæ centrum, Ducem Fridlandiæ, quoties ad pugnam generalem, mox ad velitares conſictus provocaverit, eſt in recenti hominum memoria; eò etiam tandem anguſtiarum ob commeatus defectum redegerit, ut caſtris deſertis per Sudetes in Miſniam, unicam illam ex toto Imperio Romano, cui tyrannis Pontificio - Cæſaria pepercerat, regionem ſe receperit, ut eidem per Holckii militem maximam, partem incenſæ & expoliatæ, extremam panolethriam afferret, & ita, in quo pretio & antoritate ſint, qui fideles tot annos Cæſari manſiſſent, demonſtratum iret. Hunc autem precibus Sereniſſ. Electoris Saxoniæ evocat<sup>o</sup> inſequitur REX *noſter Pientiſſimus*, citiſq; gresſibus Thuringiæ civitatem & Emporium Naumburgum aſſequitur, præſidiariis & civitate in fidem receptâ inter Weiſſenfelſium & Luzam, tertio fermè lapide à Lipſia offendit hoſtem caſtris & vallis probè munitum. Ibi videns hoſti ſeſe numero imparem, & meminsens inſuper, non ad choreas, ſed ad ſtragem acerrimam ſeſe ire; clasſico convocatâ concione ad pietatem totum exercitum, ac ad devotam orationem ad DEUM pro felici impetranda victoria admonuit. Ipſe R E X pro more conſyeto totus ad



ad DEUM conversus positus procubuit genibus ad eum unum confugit & supplex nomen ipsius pro vetbi conservati-  
one, & felici belli eventu poposcit. Ut verò surrexit, vultu  
nihil mutato, neq; in verbis quicquam hæsitans, circumstan-  
te frequentissimâ equitum coronâ in hanc sententiam fari  
infit: Quid hætenus, *Commilitones mei*, DEO causæ bonita-  
tem adjuvante, præstiterimus, vobis ignotum esse non potest.  
At nostræ ad arma hostilia vires nullæ; nervi sunt langvidi,  
invalidi, emortui. Solus ille hætenus præstitit, ut nostrum  
hostes impetum ferre non potuerint. Nunc cum res in ar-  
cto posita sit, constantè credite, DEUM suam exercere posse  
potentiam etiam per paucos. Solus ille exercitus incolumis  
est, qui DEUM habet amicum & protectorem. Hunc  
autem ut faventem nobis speremus, causæ efficit bonitas.  
Huic confisus prælio interesse decrevi, nec illi me subtraham.  
Indant vobis Religio, Libertas, Patria, Liberiq; vestri, ad for-  
titer ac intrepidè hosti resistendum animum heroicum.  
Vincere estis serti, non vinci; Et si fortè DEUS me vita ex-  
cedere jubeat, vel globo trajectum, vel cuspide ensis transfi-  
xum (quicquid enim à DEO decretum est & constitutum,  
nec ingenio humano corrigi, nec potentiâ impediri potest)  
rum ultimas meas admonitiones optimè ruminare: Diligi-  
te concordiam, Pax aurea liget mentes vestras, avaritia longè  
à vobis exulet; & ambitio, nigro Orco confusa, animas non  
ingrediatur vestras: Sed unanimes perdurate, & quod virtu-  
te ac industriâ hætenus peperistis, per socordiam ac discordi-  
am non amittite; videbitis mirabilia, hostes, ut muscæ, au-  
tumni aërem frigidiorum non ferentes, occidunt. DEUS,  
cujus hæc causa tota est, secundos cœptis vestris dabit succes-  
sus, ut hostis minas & vires victricibus armis debellare possi-  
tis.



tis. Virtus petit alta, nec ulli gnavo ad Virtutem via ob-  
tigit invia.

*Hæc nostri REGIS, & MONARCHÆ Borealis felicissimi,  
Pietate & fortitudine incomparabilis, Justitia Moysen & Josapha-  
tum, lenitate & aequitate Davidem, Zelo Phineam, robore Sim-  
sonem, Sapientia & Potentia Salomonem æquantis extrema cautio  
veluti cygnea omnes omnium animos ad pugnam non parùm incen-  
dit. Ipse verò, priora verba repetens, ita inquit magnanimis  
animis:*

— *Virtute Duce, auspice CHRISTO  
(Ne trepidate) Hostem validum victricibus armis  
Debellabo. Etenim Virtus petit alta, nec ulli  
Gnavo ad Virtutem callis fuit in viis unquam.  
Huc mecum adspiret non tardis gressibus, alma  
In virtute meus qui jam Comes esse cupiscit.*

Hæc fatus conticuit. Perspiciens autem castris hostem  
& fossis se continere, habitâ cum suis Ducibus deliberatione;  
utrum conducibilius videretur, quia hostis numero prævale-  
ret, auxilia Electoralia & Lunæburgica præstolari, an ad præ-  
lium statim hostem provocare; Itum tandem in illorum est  
sententiam, auxilia expectanda statuentium. Hæc dum  
fiunt, Fridlandius septem in occursum Pappenhemio legio-  
nes mittit versus Halam, ut vias ad Salæ fluentia obsesas me-  
biles redderent. Quibus REX cognitis, manè denuò  
(erat autem VI. dies Novembris) sacris ritè ac devotè pera-  
ctis, Pappenhemii succursum, ne Hosti daret victoriam in ma-  
nus, expectare noluit; sed mutato priori consilio hosti ob-  
viat, & ultrò se illi offert, eumq; inter primas cohortes laces-  
siturus incedere pergit. Vidisses ibi agmina hostis bis fer-  
mè nostrum exercitum exsuperantia magnâ vi cornibus ob-  
jectis



jectis in nostros irruere. Sed REX noster magnanimus  
mediis hostium cuneis sese immiscens fortissimum quemvis  
sibi obvium trucidat, & instar torrentis aquæ, vel turbinis va-  
lidissima quæq; cum impetu proruentis, nunc hos, nunc il-  
los cædibus exsuperat.

Sed eheu! quo ruis, ô Scutum & Propugnaculum no-  
strum? quid in media hostium agmina summo cum vitæ  
discrimine te conjicis? An nescis, Principem non decere, vi-  
tam ac dignitatem in aleam temerè mittere? An effluxit  
memoriâ notabile illud: A discriminibus Ducem abesse o-  
portere, ne cum eo rerum summa periclitetur? An ignoras,  
belli fortunam esse ancipitem, & rapere modò hunc, modò  
illum? Principem in conflictu non plus, quàm viri unius  
vicem implere pugnando; at si occumbat, ut pereundum sit  
omnibus, facere. Retro cursum flecte, frænaq; volitan-  
tia cohibe. Miserere saltim, si tui es oblitus, REGINÆ  
Conjugis, à te uno pendentis, sine te vivere non expetentis.  
Miserere filiam, quam, si te fata rulerint, orbam relinques.  
Miserere Regni; miserere Subditorum, sine Capite posthac  
in squalore hostibus exponendorum. Miserere totius orbis  
Christiani, Religionem puriorem amplectentis, qui te, vi te-  
lorum extincto, instar viduæ erit, procis Bestiæ Coccineæ insi-  
dentis Meretricis præpotentibus rapina factæ. Sed Vir-  
tus tua te, & ardor inexpugnabilis, dum solus nebulis, partim  
à pulvere tormentario, partim è terræ cavernis exortis cir-  
cumdatus, cum uno ac altero ministro fortitè dimicas, vesti-  
gia retrò ferre non patitur; quin generosioribus ausis in a-  
gmina media irruis, ut pulchram tibi mortem per vulnera ac-  
cerfas. Et jam, heu dolor! heu lachrymæ! heu facinus  
crudele! glande æneâ, scloppo elisâ, brachium tuum fini-  
strum,



strum, mox ventrem aliâ, aliâ tempora trajiceris; mox ferro ad terram sublapsi illa rumpuntur. Ita inter suspiria & vota ultima ad Servatorem suum CHRISTUM, cujus honorem cum sanguinis pretiosi profusione his in terris adversus hostes crudelissimos ad ultimum vitæ halitum defendit, ad celestem patriam, honoribus & regno æviterno reservatus, evolavit, Anno ætatis 38. Regni 15. Corpus exanime in hoc acerrimo conflictu glandibus quinque; trajectum, & quinquies ferro faucium inter mortuos relinquens, quod postea Weisfelsium hexaphoro deportatum, exenteratum & balsamo unctum fuit.

Quis jam dabit capitibus nostris aquam, & oculis fontem lachrymarum, ut hanc jacturam animulæ tam piæ die ac nocte deplorare possimus? Contritum est cor nostrum in medio nostri, contremuere omnia ossa nostra (*Jer. 23. v. 11.*) Defecerunt præ lacrymis oculi nostri, conturbata sunt viscera nostra, effusum est in terra jecur nostrum super afflictione cervicibus nostris imminente, (*Thren. 2. v. 11.*) Heu lucem, heu verè luctuosam lucem, quâ non ulla funestior terris unquam illuxit, quæ REGI tam justo, tam pio, tam clementi, tam forti ac strenuo vitæ finem attulit! At cujus dextra tam sava fuit & immanis? quis tam barbarus, ferus & crudelis; quis sensu omni destitutus facinus tam nefarium, tam detestabile, tam atrox aggredi ausus fuit? Quàm vulnus latum pectore stridet! quàm caput sanctissimum glande terebratum hiat! Ut facies tua squalet; ut vultus planè est immutatus; ut oculi lucem pertæsi atrum & plumbeum colorem induxerunt; ut cervix langvida deficit; ut os mortuo simile moveri amplius est nescium! An cæsaries sanguine ac tabo conglutinata & coagmentata diadematis regii vicem tenet? Num

Num



Num interula refert togam purpuream? Qui verò gladius, aut quæ lancea tam dura & rigida fuit, cujus cuspis ad contactum cutis in cinerem & pulverem non protenus abiit? quod plumbum aut æs tam firmum, quod in ipso vulnere non diffuxit? Debebas tellus concussa, sedibusq; tuis & repagulis avulsa conturbari; Debebatis vos, profundissimi Ponti aquæ cataclysmo novo & insigni, terrarumq; inundatione *συνωαδείας*, moeroris ac tristitiæ *τεμύησια* evidentia edere.

At tibi Sangvinario REGICIDÆ, quisquis, qualis & quantus es, qui non es veritus manum imponere Unctō Domini, malè tibi sit & toti tuæ posteritati. Diabolus stet à dextris tuis; cùm judicaris, abeas condemnatus, oratio tua sit peccatum. Fiant dies tui pauci; Filii tui fiant orphani, & uxor tua vidua. Nutantes transferantur filii tui, & mendicent, & ejiciantur de habitationibus suis. Scruterur foenerator omnia, quæ sunt tua, & diripiant alieni tuos labores. Non sit tibi adjutor, neq; sit qui misereatur pupillorum tuorum. Fiant Nati tui in interitum, in generatione una deleatur nomen tuum. In memoriã redeat iniquitas patrum tuorum in conspectu Domini, & peccatum matris tuæ non deleatur. Sis invisus Domino semper, & dispereat de terra memoria tua. Pro eo quod non es recordatus facere misericordiam, eò quod meliorem te occidisti, & persecutus es te justiores; & dilexisti maledictionem, & veniet tibi; & noluisti benedictionem, & clongabitur à te. Induas maledictionem, sicut vestimentum, & intret sicut aqua in interiora ejus, & sicut oleum in ossibus tuis. Fiat tibi sicut vestimentum, quo operiris, & sicut Zona, quâ semper præcingeris. Hoc fiat iis à Domino, qui contra justos sunt. Sed prolixior fui, quàm volui,

D

dum



dum diras, *Regicida impiissime*, prout meruit es, ultrices in hostile tuum caput evoco.

Quid verò tum, ò profundissimi maris Balchici gurgites; quæ vos moræ tenuere; aut quibus carcerum faucibus detenti moeroris signa nulla dedistis excitis ab imo vertice fluctibus? At fata tam tristia tam luctuosa æther audit, crebrisq; desuper emissis pluviis uberrimè hætenus flevit, quin & Sol ipse nitidum caput nubibus velatum sibi à lacrymis temperare non potuit.

Hæcne tua præmia, *Santissime* REX, quæ pro fortiter defensâ in his terris religione sincerâ reportas? Siccine fractis jam fermè & fugatis hostium agminibus gaudia morte tuâ vertis in luctum, ac triumphos in ejulatum? O labiles, ò inanes spes nostras! quàm sæpè Spes hominum in ipso limine franguntur, antequam portum intueri queunt! Tene potuisse Principes nostros reducere, Tyrannos abigere, cum libertate sublata Religionem restituere; nos precibus nostris, in Ecclesiæ & Reipublicæ commodum, ulterius ut superstes esses, non potuisse obtinere? Videmus, regulam minùs esse fallacem: Quicquid à DEO constitutum est, nec ingenio humano corrigi, nec potentiâ impediri posse. Et justo DEI factum judicio, ut anima *Pientissimi* REGIS latumia corporis soluta in DEI manu quiescat, cujus commercio non digna erat, ut frueretur terra.

O fortunatam ergò mortem, quæ naturæ debita, Pro Religione, pro Patriâ, pro Libertate, persolvit! Hinc si ulla animabus cura & cogitatio rerum sublunarium est relicta, non dubitamus, quin anima tua, REX *desideratissime*, in fasciculum viventium colligata, Regumq; beatorum choro associata tripudians jam, cum gaudii attestatione persentiscat non



non exiguas tuâ fata subsecutas victorias. Emicuit devotio tua per totum vitæ curriculum; ; disposuisti devotè res præliorum; descendisti cum devotione in prælium; inter suspiria etiam devota vitam finiisti. Hinc cum aliàs, ut habet Jan-Gruterus ( in commentariis super Tacitum ) vulnerati Ducis fama totis semper castris perniciosâ, nec à seculis auditum sit, Duce occiso exercitum constitisse; ; quin statim pavore ac fugâ dilapsus sit: contrarium planè in hoc casu videmus. Nec enim levi aliquo vulnere confectus, sed aliquot acceptis, quorum singula mortem causabantur, letalibus animam exhalasti: nec interim exercitus constitit, multo minus pavore & fugâ fuit dilapsus; sed contrâ audentior ivit. Ast factum hoc non humanum, non viribus humanis impudandum. Nova est hæc vincendi ratio, planè nova & insolita. A Domino facta est, & est mirabilis in oculis nostris. Hinc sicut Phoenice exusto cinis proliferat; & Ichneumon à Crocodilo devoratus mortem eidem affert; Sicut Simsone moriente ruina ex lapsu domus theatricæ multa hostium millia secum trahit; Sic tu **R E X** *invictissime*, etiam post mortem vincis, & tua mors amarulenta omnibus tuis Ducibus visâ eosdem in tui vindictam justam armavit. Simul ac enim Illustrissimus & cordatissimus Heros **D N. BERNHARDUS**, Dux Saxoniz, Cliviz & Montium amarulenta **R E G I S** fata inaudit, vitæ suæ post tanti Herois obitum prodigus, adsumpta suorum manu in cuneos hostium confertissimos impetu facto fortissimum quemq; trucidat; nec prius cessavit, quàm cum sanguinis hostici uberrimâ profusione victoriam, omnibus fulminalibus machinis, pulvere tormentario & plerisque; impedimentis obtentis deportaret, prius etiam trepidantes hostes persequi non desisteret, quàm ex agro Misnico



ejiceret, prædamq; ex Electoratu Saxonico vi expressam recuperaret. Ita vivere desit Heros incomparabilis, cujus inimitabili virtuti pro Religione ac Regione satis demonstratæ quantum debeamus, non obscure ferimus, vimq; doloris manifestam hæc declamatiuncula, quam ut plurimum extorsit debita tum DEO pro Heroe tanto concesso, tum *Regia Majestati ev æylois* pro præstita ope indefessa Christianitati afflictissimæ *ευχαριστία*, testari volumus. Donec Megapolepolis erit, donec Germani candoris & sine ullo fuce sinceritatis amator ac admirator vigeat, *Herois nostri Sanctissimi* memoria, honor & gloria celebrabitur. Et cum totus Christianus Orbis super strage tam indignâ meritò lugeat, inprimis verò *Serenissima Heroici REGIS VIDUA, pietatis Sanctitatis & Virtutis omnis exemplum, nec non Serenissima Princeps DN. CHRISTINA, FILIA*, quarum *illa CONJUGEM suavissimum, Hac verò PATREM desideratissimum* meritò lugeat ac deflet; omni jure & nos dolorem & mœstitiâ, quam REX, Princeps, Patronus & Pater à suis subditis, Clientibus & filiis post plurima commoda virtutè suâ parta requirit, contestamur. Nec fas esset aliter nos facere; quam ut capite sublato, & nos, membra derelicta condoleamus, inque communi mœrore & squalore cum Regia Vidua, cum Prole Regia & adeò totâ Christianitate simus. Et utinam afferre aliquid possimus ad leniendam utriusq; justissimam mœstitiâ, quæ doloribus, regia corda argentibus totæ diffluunt; animos certè ac studia paratissima polliceremur. Admittant vocem D. Apostoli, nec contristentur nimium obitu REGIS *Christiani*, sicut Gentiles, qui spe carent. Efficax etiam Tertulliani illud elogium efficacem medicinam præbeat: Non est lugendus, qui antecedit, & piè quidem antece-

tece-



antecedit, sed planè desiderandus. Autor & Fons omnis  
misericordiæ & solatii mœrorem ab *miserrimè afflicta & ju-*  
*stissimè mœrentis Serenissima MÄTRIS ac FILIÆ*, totiusq;  
Regni contristati, cordibus & lacrymas ab oculis abstergat.  
Nos omnes sciamus, REGI *Sanctissimo* præmium jam laboris  
omnis esse, à laboribus liberatum esse, & jam versari inter il-  
los, qui & olim pro amplificatione nominis Divini bella hor-  
ribilia gesserunt. Vivit nunc associatus numero Patriar-  
charum & Regum, Abrahami, Moysis, Josuæ, Davidis, Josaphati,  
Constantini, Caroli Magni, Johannis Friderici, Saxoniae  
Electoris, cui gloriæ erat pro Verbi Divini propugnatione  
capitis periculum subire, carceres & ergastulum mortè et-  
iam acerbius non reformidare. Videt *Serenissimum Re-*  
*ligionis sincere Assertorem, Defensorem & Propagatorem,* CA-  
ROLUM, PATREM suum, cui gravissimos suos pro aris &  
focis labores exantlatos recenset. In quorum conspectu,  
gaudiis omnibus ac lætitiis diffuente, ubi mœror, ubi angor  
nullus, ubi, quotcumq; vivunt, de morte nemo queritur, RE-  
GEM nostrum *Christianissimum, Pientissimum ac Serenissimum*  
relinquimus, cum hac, Piorum omnium Lacrymis & fletibus  
dignissimis adspersâ, acclamatione:

GUSTAVE REX ADOLPHE, *Regni Suetici*  
*Nobilis Pyrope salve! Salve orantis olim*  
*Gloria ardor! Pulle Martis; Victor invincibilis!*  
*Cultor Astræ; Exulantium Pater; Spes certa tristium;*  
*Christiadam Relligionis solidum Praesidium labantis,*  
*Qua Tibi, LUTHERIADE, debet originem uni;*  
*Firma vivida Palmula Doxa*  
*Aeternum salve REX inclite*  
GUSTAVE *Svecorum Columna* ADOLPHE!  
DIXI. D 3 INTI-



## INTIMATIO.

Lecturis omnibus & singulis, cum Salute præ-  
via felix & beatum Novi Anni auspi-  
cium.

**U**Ti, Viri admodum Reuerendi, Magnifici, Amplissimi, Consultissimi, Prudentiss. Clariss. Humaniss. ac Doctissimi, Patroni, Fautores, & respectivè Collegæ & Amici, magnificiendi, honorandi ac per dilecti, cum ingressu hujus anni felicia quevis, cum Progressu & egressu Pacem, prosperitatem, sanitatem, & in negociis optabilem succesum ex corde vobis voveo & exopto: Ita ingentis illius mali & incommodi, quo tota Resp. Christiana VI. Nov. anni elapsi est afflicta, non dememinsse velim. Obscurum Vobis non est, Principem Christianissimum, & Heroa verè Magnanimum, Religionis sinceræ Statumen, & Germanæ Libertatis Defensorem acerrimum, GUSTAVUM ADOLPHUM, REGEM Svecorum, Gothorum, & Wandalorum, Principem Magnum Finlandiæ, Ducem Esthoniæ, & Careliæ, Dominum Ingridiæ, &c. non sine nutu divino, haud dubiè ob peccata nostra in Bello illo arduo prope Nobilissimum Germania Emporium, Lipsiam, heu dolor! occidisse. Cladis hujus tam insperata, & Ecclesia maximè nocifera causam solus ille novit, cujus Sapiencia rationem reddere novit eorum, qua nobis sunt ignotissima, cujus causa fiant. Abundè ergò super hoc casu & insveto & lugubri mœrendi causa nobis subministrata est. Quod enim in edificio magnifico usu venit, ut plus ei inferat damni unicum fundamenti saxum labefactatum, quàm si sexcenta de tecto tegula cadant; Sic magis Principis obitus est descendus, cujus mors Religionis & libertatis ruinam, nisi DEUS averruncet, secum trahit. Sublato capite, corpus sine nomine truncum est; Capite custodito vita integra, salus  
tuta



tata est. Meruit REX laudatissimus, meruit inquam, ab omni-  
bus desleri, & memoriam ejus inter justos vivere. Et membra  
nosmet trunca, avulso tam pretioso capite, demum experimur, quid  
sit, esse corpus sine nomine; & ita ἐξ ἀποσπέρσεως τοσούτου ἀγαθῆς  
ἐξίτη ἐπαργυρώσκομεν. Nos ergo non semel, thesauri hujus preciosi,  
Christiano orbi adempti jacturam deslere par est, recordantes, RE-  
GEM Sanctissimum non amplificandi proprii, nec labefactandi  
alieni Regni; Sed stabiliendi cultus Divini, & labefactate Pacis  
statuanda causa in arma ruisse. Hoc me quoque movit, ut que-  
relam justam, non ausu tamen proprio, sed svasu eorum, quos meri-  
to suspicio, & veneror, susceptam super Tragico REGIS Chri-  
stianissimi casu instituere, & ad IX. Januari horam VIII. vestris  
auribus deponere decreverim. Itaque, V. R. M. A. & Cl. Dig. sub-  
missè rogo, ut exigui temporis momentum huic meo labori impertire  
non graventur. Meritus est hoc Serenissimus REX de nobis:  
meritus est sanguis tam pretiosus pro nostrâ salute affatim fusus:  
Devincient insuper me hoc ipso benevolentia signo, ad obsequia gra-  
ta in maximis, minimis, medioximis redhestimenti loco prestanda.  
Benè & feliciter valetè, & nobis favete. Dabam GUSTRO-  
VII VIII. Januar. Anni ∞ 100 xxxiiii.


M. GEORGIUS SCHEDIUS,  
Scholæ Gustavoviensis  
Rector.




























non exiguas tuâ fata subsecutas victorias.  
tio tua per totum vitæ curriculum; ; dispo  
præliorum; descendisti cum devotione in  
suspiria etiam devota vitam finiisti. Hinc  
bet Jan-Gruterus ( in commentariis super Ta  
ti Ducis fama totis semper castris perniciofa,  
ditum fit, Duce occiso exercitum constitist  
pavore ac fugâ dilapsus fit: contrarium pla  
demus. Nec enim levi aliquo vulnere cont  
acceptis, quorum singula mortem causaban  
mam exhalasti: nec interim exercitus con  
nus pavore & fugâ fuit dilapsus; sed contr  
Ast factum hoc non humanum, non viribu  
tandum. Nova est hæc vincendi ratio, pla  
ta. A Domino facta est, & est mirabilis  
Hinc sicut Phœnice exusto cinis proliferat;  
Crocodilo devoratus mortem eidem affert;  
moriente ruina ex lapsu domus theatriçæ mi  
lia secum trahit; Sic tu REX *invictis* me  
tem vincis, & tua mors amarulenta omnibus  
sa eosdem in tui vindictam justam armavi  
enim Illustrissimus & cordatissimus Heros I  
DUS, Dux Saxoniz, Cliviz & Montium am  
fata inaudit, vitæ suæ post tanti Herois obit  
sumpta suorum manu in cuneos hostium co  
petu facto fortissimum quemq; trucidat; n  
quàm cum sanguinis hostici uberrimâ profu  
omnibus fulminalibus machinis, pulvere tor  
risq; impedimentis obtentis deportaret, p  
dantes hostes persequi non desisteret, quàm

D



devo-  
è res  
inter  
tha-  
nera-  
s au-  
arim  
ù vi-  
quot  
s ani-  
o mi-  
viti.  
mpu-  
nfoli-  
ostris.  
non à  
sone  
mil-  
mor-  
us vi-  
ul ac  
AR-  
GIS  
s, ad-  
s im-  
savit,  
iam,  
ple-  
repi-  
nico  
ejice-